

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0341

0339

0345

0335

0350

0330

0390

0290

0440

0240

0840

Ende

Anfang

328

orientemque armis domant, de quorum numero est rex Aegypti,
Soldanus, et omnes sui curiales: hi nec legem Machometi
nec Christi evangelium curant, sed voluptatibus operam dant.

XV. Judaei.

In medio omnium horum sunt Judaei exsecrati, ut
etiam tribulatio et vexatio multa operiat eis intellectum, ubique
enim per orbem captivi et spreti sunt, habentque inter se
diversas sectas, ut sunt Samaritani et Esseni, et continui
novi errores inter eos crescunt, de quibus multa dicere possem.

XVI. Christiani latini.

Degunt in Jerusalem Christiani latini, in ecclesia et
monasterio montis Syon fratres Minores sub promta obedien-
tia et evangelica vita, de quibus in antecedentibus multa dixi.
Hi soli totis praecordiis optant, ut christiani principes veni-
ant et Romanae ecclesiae et imperio omnia subjiciant, quod
ille concedat, qui sine termino regnat.

De praefatis sectis et gentibus vide supra fol. 133. B. et
in Burcardo circa finem descriptionis terrae sanctae, et in
peregrinatione domini decani Moguntinensis et in Speculo
histor. et in Chronico Antonini. Multi tamen de his scri-
bentes sine haeresibus dicunt eos esse orientales et
laudent eorum simplicitatem. Sed hoc olim ante CC annos
sic erat, interea autem omnes, demitis Latinis, pessimis erro-
ribus sunt depravati et in dies plus depravantur, cum non
habeant catholicos doctores et praedicatores, nec accipere eos
volunt contenti mori in suis erroribus.

